



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sancta Communitas, In Paupertate religiosa inviolata

Wissingh, Anton

Coloniae Agrippinae, 1699

Approbationes Theologicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49611](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49611)

(0)
Approbationes Theologicae.

I.

Libellus hic aureus (cui titulus : SANCTA
COMMUNITAS &c compositus ab Admo-
dum Reverendo P. ANTONIO WISSINGH, Arti-
um & SS. Theologiae in alma Universitate Tre-
virensi Doctore, Provinciae Coloniensis FF. Mi-
norum S. Francisci Conventualium Ministro Pro-
vinciali, nec non Commissario Generalis &c.) ex
toto mihi summopere arridet, eò quòd rectissi-
mam ad finem hominis, qui est DEUS purissimus
Spiritus, sine ambagibus demonstrat viam. Nam
quid est homo, *Mensch*? Nonne *Mens*? Mens ut-
pote spiritualis spirituali pascitur objecto ; quo
aegrè pascetur, si à Corporalibus non expediatur:
Expeditur autem, si VITAE COMMUNI, quae à
terrenorum curis eximit, sese totaliter incorporet:
his eximetur, si Voluntariae paupertati perfectè se
subdat: pauper perfectus erit, ubi se, cunctaque
sua privata suis Superioribus, Vicariis Dei resig-
natè committat: Et sic Vivens, serenitate Cordis,
quod alioquin innumeris ob *Meum & tuum* vincu-
latur anxietatibus, plenariè gaudet: In Summo &
omni *Bono Deo*, qui ipsi sufficit, promisitque cen-
tuplum, amorosè sibi complacet: Caelestem secu-
ritatem, ac beatitudinem jam tum ex nunc (mor-
te temporali, velut suavi Somno, contempta)
volo dicere, *Calum extra Calum* satiata possidet.
Ut autem omnibus, maximè Religiosae Vitae pro-
fessoribus & amatoribus pariter arrideat, & gra-
tus sit caelestis hic libellus, in quo nihil contra fi-
dem

dem, aut bonos mores reperi, quin potius omnem
humanam, immò primævam in innocentis animi
libertate expertus felicitatem, jure meritissimo
dignus est, qui publicâ fruatur luce, cunctorumq;
manibus sapidè revolvatur. Sic judico & exopto
infra scriptus Coloniae 24. Februarii, 1699.

*Fr. Caelestinus à S. Henrico, Ordinis FFrum
Bmæ Dei Genitricis V. Maria de Monte
Carmelo per Germaniam inferiorem H.V,
Provincialis, quondam SS. Theologia Pro-
fessor. m. p.*

Idem ego, ut supra, Sentio

*Fr. Alexander à Sancto Bertholdo
Adm. R. P. Provincialis Assi-
stens, SS. Theologia olim Pro-
fessor. m. p.*



Approbatio II.


Sicut humilitas obedientiam religiosis facilem
reddit; sic perfecta in monasteriis *communitas*
paupertatem voluntariam facit tolerabilem: dum
enim à nemine in monasterio constituto occultè
aliquid accipitur, aut proprium sibi dicitur, sed
quodvis collatum in *rem communem* redactum
sub potestate est Præpositi; facile distribui potest
unicuique victus & regumentum, queis conten-

tus

ius esse queat ac debeat; eorum etiam infirmitati, quorum paupertas, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat invenire, quantum satis est, subveniri. Sicque primò per hanc *communitatem* indigentium necessitati occurritur, dein & malè abundantium superfluitati voto Paupertatis repugnanti, & multorum gravissimorumque in vita monastica excessuum pessimæ radici occurritur, atque ex una arbore gemellus hic fructus enascitur. Agnoverunt id omnes omnium Ordinum SS. Instructores, ideoque Apostolicis insistentes vestigiis, suas in *Communitate* Religiones, & *perfectam* in Religionibus *Communitatem* fundaverunt, proprium omne cum *meo & tuo* eliminantes. Agnoverunt Sanctissimi Christi Vicarii Summi Ecclesiæ Catholice Pontifices, ideoque collapsam, cum disciplinæ religiosæ aut manifesta ruina aut gravi periculo, in Religionibus *communitatem* validissimis decretis restaurare conati sunt. Ut autem & hodie dum agnoscere possint omnes (præsertim si qui sint nolentes intelligere, ut bene agant) *Sanctæ* in Religionibus *Communitatis* ortum, institutionem, restorationem, illiusq; benè custoditæ emolumenta, neglectæ detrimenta tam Spiritualia quàm temporalia; ejusdem denique, & magis *paupertatis religiosæ* strictam obligationem; omnia hæc præsentis libello religiosè & Solidè, doctèque proponit *Admodum Rev. & Eximius P. Antonius Wissingh* Minister Provincialis Ord. Min. Convent. Quem proinde dignum judico, ut lucem videat, quò non videntibus lucem afferat: præstabit hoc, si sæpius simplici oculo

oculo videatur, revideaturque. Sic censeo in
Canonica nostra Everhardi Clusana, hac 6. Mar-
 tii, Anno 1699.

JOANNES SCHUNCKEN,
Canonicorum Regul. S. Augustini Prior,
quondam SS. Theologia Professor.



Approbatio. III.

FELICISSIMÆ illæ Religiones, quæ primorum
 Christianorum Vivendi methodum tenent, &
 juxta eam, *Omnia habent communia, dividuntque*
illa omnibus, prout cuiq; opus est Act. Apost. c. 2. v.
 44. Tales etenim Religiones, revera sunt, ut S.
 Paulus 2. Cor. 6. v. 10. dicit. *Sicut egentes, multos*
autem locupletantes, tamquam nihil habentes, &
omnia possidentes. Felix Religiosus, qui talem Re-
 ligionem profitetur, atque in ea Sanctam amat
 colitque paupertatem! Nam, si à quopiam in-
 terrogetur, An sibi sive sano sive infirmo, sive in
 victu, sive in vestitu &c. unquam aliquid defu-
 erit? Ilico cum Christi Discipulis, Lucae c. 22.
 v. 35. respondebit: *Nihil.* Siquidem in tali Reli-
 gione, omnia ipsi necessaria magna cum charita-
 te subministrantur; Et re ipsa experitur, illud I-
 saia in se vaticinium adimpleri qui c. 15. v. 45
 prædixit: *Quòd Deus sit fortitudo pauperi, forti-*
tudo egeno in tribulatione sua, spes à turbine, um-
braculum ab estu. Haud porro felices illæ Reli-
 giones,

giones,

giones, quæ à præfata vivendi methodo recesserunt. Abesse enim non potest, quin tractu temporis deficient. *Dum enim unusquisque in superbia suam diligit, status communitatis ruit*, inquit Celeberrimus ille ex Celeberrimo S. Benedicti Ordine Abbas Trithemius. Infelices quoque in his Ordinibus Religiosi præsertim illi, qui contra suas Constitutiones, aliquid sibi, sive in pecuniis, sive aliis in rebus, proprium esse dicunt, & possident. De his enim Religiosis idem Doctissimus Abbas Epist. 50. scribit. *Monachus qui divitias amat, nec Monachus est, nec Christianus, sed Apostata potius & infidelis; quoniam & Evangelium transgreditur, & voti contemptor monastici, suo Domino mentitur.* Felicitatem Religiosorum, Sanctam communitatem colentium, pericula quoque illorum, qui in communi non vivunt, sed contra suas Constitutiones proprietarii sunt, complectitur divinus hic Liber, ab Admodum Rev. & Eximio P. Antonio Wislingh S. T. D. & Provinciæ Coloniensis Ord. Fr. Minorum S. P. Francisci Conventualium dignissimo Provinciali conscriptus, & *Sancta Communitas &c.* inscriptus. In quo cum nihil fidei Orthodoxæ aut bonis moribus repugnans repertum sit, dignissimus censetur, qui præli beneficio in lucem prodeat, & à Religiosis quibuscunque assiduè legatur. Dabam in Carmelo nostro. Coloniæ 9. Martii, An. 1699.

F. Stephanus à S. Joanne Evangelista, Provincia Allemania Inferioris Ord. Fr. B. V. Mariae de Monte Carmelo Exprovincialis. & p. t. Prior Colonia.

(0)
Approbatio IV.

SUMMA cum animi voluptate Spirituali perlegū
præsens Opusculum, intitulatum *Sancta Com-*
munitas in Paupertate religiosa inviolata &c. & in
Veritate comperi, Ejus Authorem, in eo compi-
lando laborem præstitisse *Communem* in sensu
Chrysof. ab ipsomet citati Hom. 79. quia solo
Communis commodi intuitu, Bonique *Communis*
Zelō illum impendit; *Communem* quoque ex fine
& objecto, quia omnibus Religiosæ vitæ Profes-
soribus ad Monasticæ Paupertati maximè con-
sentaneam, & (quasi dixerim) unicè necessariam
perfectionem promovendis, eum dicavit; ac de-
mum *Communem* ex modo, quia per *Communem*
SS. Patrum sententiam sua firmavit & stabilivit
asserta. Superest proindè, ut etiam præli be-
neficiō, Liber iste fiat *Communis*, quò erudi-
antur omnes eum lecturi vitæ regularis Affectæ,
circa *vitam Sanctè Communem*, & ad eam seriò
amplectendam, & exactè colendam inducantur;
hoc Deus faxit, illud verò ex voto meo fiat fiat.
Dabam ex Carmelo Excalceato Coloniae Die 17.
Februarii, 1699.

Fr. Lucas à S. Gerardo ex Provincialis, olim
SS. Theol. Lector, p. t. Prior Carm. Disc.
ibidem.



Ap.

(0)
Approbatio V.

Liber hic, cui titulus est: *Sancta Communitas, in Paupertate Religiosa inviolata &c.* nihil continet *Commune*, sed Doctrinam verè exquisitam & solidam: utpote ex SS. Patrum, probatissimorum Doctorum & Ascetarum monumentis non minori zelo, quàm studio selectam, miro Ordine per quæsita & responsa perspicuè digestam, omnibusque veræ vitæ religiosæ Sectatoribus nedum perutilem, sed & apprimè necessariam, ac proinde luce & laude dignissimam. Ita censebam in Carmelo nostro Confluentino 24. Februarii, 1699.

*F. Optatus à S. Conrado Carmel. Discalc.
SS. Theologia quondam Lector m. p.*



Censura Ordinarii.

CUM *Sancta Communitas, in religiosa paupertate inviolata, &c.* velut hic Liber inscribitur, sit sancta in communitate paupertas, & dives in paupertate communitas; placet, ut pro stabilienda cōmuni sancta divitis paupertatis alimonia, typis divulgetur. Coloniae hac 3. Decembris, 1698.

*Christianus Neuvendall Elsius, SS. Theol.
Doctor, Colleg. Ecclesiae S. Andreae De-
canus, Gymnasii Montani Regens,
Librorum Censor &c. m. p.*